



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.5. Justitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

sapientius Deo? Quid tibi pejus aut stultius te ipso? heu me! penè dixi; quid pro te stultius sapientiâ Dei? O novam amoris divini syntaxin! VERBUM INFANS Verbum, oculum Dei, *totum anima, totum animi, totum sui.* Infans, *ultimam creaturarum, totum terra, totum carnis, totum tui.* Improbe amor, quid petis amplius? exinanivit semetipsum, imò transformavit semetipsum, & factus est, si fas est dicere, nova *chimæra Dei,* (*Clemens vocat hominem chimæram Dei,*) quod erat & quod non erat, Argus & cæcus; Argus, ut omnes oculos aperiret in cælo tibi; cæcus, ut omnes oculos clauderet in cruce tibi, utraq; naturâ tuus. Quid deinde? Quid? audi verissimum epiphonema. Aut amans es, aut amens.

§. 5. *Justitia.*

Exhibui sapientem, do JUSTUM, do fidelem, do memorem promissi. Habet, habet libellum rationum, ubi Mardocheo suo scripta est merces; & quanta? & pro quantum? Si rem quæris; cælum est, quod datur: si tempus; Æternitas: si pretium, mica. *Da micam, inquit, & accipe cælum. (Chrysologus.)* quid dico micam? dic, ut latro, verbum: fac, ut Anna, votum; perorabis. Etiam *desiderium*

DE AMORE DEI.

SI

rium pauperum exaudivit Dominus. (Psalm. 9.) Nam si de verbo otioso rationem exigat; & ille multò magis reddet de non otioso. *Non enim est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri. (Hebr. 6.) reddet unicuique juxta opera sua. (Psalm. 61.)*

Talis est, talis gratia Dei tui: & qualis illa mundi, non tui, sed sui; imò nec sui, nec tui? dic, amabo te, per quanta pericula curritur ad majus? quoties amittitur, etiam cùm habetur? ægrè quæsita, ægrè retenta? & cui bono seu quæsita, seu retenta? Hic, hic omnes numerantur capilli; & si capilli; quantò magis capita? & si verba; quantò magis officia? ô incredibilem amoris facem! Habeo certaminis præsidem, habeo agonothetam, à quo coronantur etiam verba; etiam vota. *Et folium, inquit, ejus non defluet. [Psalm. 1.]* Folium dicit, non fructum. O te beatum! ô fortunatum agricolam, hæc si bona nôris! ô miserum, si negligis! ô improvidum, si terræ credis, & non Deo! audi querelam: *Protegitur mortalis à mortali; & securitas est: protegitur mortalis ab immortalis; & trepidatio est. (Augustinus.)*

§. 6. Bonitas.

Descendo ad primam horum omnium

C 2

cau-